163. 302.

Vir Celeberrime

Postquam ex itinere literario, quod susceperam bonis avibus in vicina patriae loca ad eruenda monumenta Historica, ante octiduum redierum inveni fasciculum tuum, cui Chronicon Erfurtense includere voluisti. Miro ardore perlegere illud Ms coeperam, quem tamen deferveri sensi, cum parum vel nihil, ubi tu V. C. jam ipse notaveras, in eo observarem, quod studiis meis inservire possit, quanquam egregia contineat pro Erfurtensibus viciniisque. Redit igitur hic codex nunc ad te, quem cum plurima salute et summa gratiarum actione Praenobilissimo Possessori ~~ut~~ reddas, est quod vehementer rogo atque oro. Utinam alia illa monumenta, quae ex Catalogo Menckeniano notaveram, ad me pervenissent, ita ea excerpsissem, ut nihil gloriae et splendori operis Misnici decessisset, integra enim, uti nosti commentario meo inseri non possunt. Interim valde cupio ut proxime edantur hi Scriptores, cum praesertim jam dudum hoc ipso opere salivam moverit Eruditis Cel. Mencken.

Data occasione quaeso Ampl. Menckenio indices Ill. Gudenum Camerae Imperialis Assessorem manu sua ingentem diplomatum apparatum ex Archivis Moguntinis manu sua accuratissime descripsisse, quae Saxonio [illegible] tegeret tanquam appendicem Scriptorum Moguntinorum. Perlegi totum et Syllogen cum superiori anno Wetzlariae essem et ubique cum observarem sat pondus argumentorum, quae in Historia et Jure publico nunc vel desiderantur plane vel dubiam lucem accendunt. Nonne bibliopola quidam Lipsiensis induci possit vestra auctoritate ad edendum hunc thesaurum. Mihi [illegible] de non solum operae pretium foret, sed et gratissimam Historiae [illegible]

Rediitne Ampl. Baudisius, et facilem se praebuit precibus meis, avide enim exspecto, quid servent scrinia ejus fidei commissa in usum Eginharti, Petri de Vineis, et Historiae Thuringo-Hassiacae. Vidistine Vitam Caroli M. ab Hilarione Monacho conscriptam in Bibliotheca Civica? Censesne hunc libellum luce publica esse dignum nec ne? Fac quaeso proxime sciam spesne sit obtinendi quaedam in usum Eginharti, qui cancellos mordet. Cujus aetatis sunt codices Petri de Vineis in utraque Bibliotheca, nullaene in iis servantur epistolae ineditae? Nam in fine adjeci catalogum illarum literarum, quae desiderantur in editione Schardiana in Martiniana vero et MS meo reperiuntur. Utinam fide jubente mercatore illo copia illorum Codicum ad breve tempus mihi parari posset, cum enim appropinquante hyeme itinera commode non suscipiantur, vix Casellas expressurus ero, ac proin proxime in nidos suos MSS. redibunt. Si vero nullis precibus induci possint possessores, quaeso meis sumtibus mande cuidam veteri scripturae gnaro ut data opera inquirat 1 num codex contineat praeter editas et in schedula adjecta a me designatas adhuc alias epistolas, 2 an nomina propria, quae in editione Schardiana per primum elementum solum indicantur, integra sunt descripta, 3 an in fine data literarum reperiantur. 4 cujus aetatis quilibet sit codex. 5 num non in his ipsis MSS. vel in aliis occurrant et alia subsidia inedita quibus vel Petro de Vineis, vel

Cl. Drakenborchium commilito olim meus nuper per literas me rogavit inquirerem per amicos in Germania num non in scriniis suis quaedam servent, quae Livium illustrent, in eo enim emendando totus totus est occupatus. Si quid vel ipse possideas vel alibi latere scias, quaeso mihi indica. Scripsi nuper Viennam, num schedae Gebhardianae precibus vel pretio obtineri possint.

Historiæ Friderici II. lux accendi posset, variis enim in locis ex editis monumentis te frustra extricabis. Per omnia extra fidem Te Vir Excell. rogo velis in gratiam Reipubl. literariæ et mei etiam laborem in te lubenter suscipere et quidem, si Leginhartum excipias, qui nec ullam moram patitur, quoties commodum tibi erit, Petrus enim adhuc multum olei et operæ postulat.

Nullane ne MSS servantur in Bibliotheca prælaudata quæ faciunt ad Historiam Thuringico-Hassiacam? quæso commendes id negotium Cl. Bandisio vehementer, procul dubio enim ille ex codice suppeditare poterit quæ hanc in rem extent.

Qua fronte Cel. Krausius meas excepit literas? nuper per amicum mihi spem fecit collationis Petri cum MS. cum vero ad literas fasciculo nuperrime inclusas hactenus non responderit, dubius plane hæreo, et prorsus ignoro quomodo se res habeat.

Pace tua id etiam adjicere liceat. Nosti Seculo XII. et XIII. Conradum Marburgensem inquisitorem hæreticæ pravitatis miseris modis debacchatum esse in Germania nostra in miseros Waldenses, eosque flammis ustulandos dedisse. Hujus vero historia cum mihi pariter pertractanda sit, fuit enim gente Hassus et multos pariter innocuos in patria occidit, ex editis vero monumentis parum sit sperandum MSS excutienda sunt. Idem pariter desideratur in Historia Friderici Brunsvicensis, qui anno 1400 in Hassia vid按 Francofurti a Comite Waldeccensi instigante Johanne Aep. Moguntino occisus fuit

Enarravit quidem data opera hujus caedis historiam Menckenius Junior tom 3. Script. German. verum cum interim varia prodierint Scripta coaeva vel proximae aetatis, et ego inciderim in collectionem actorum MS. de nece Friderici, quae complectitur multa hactenus incognita, praeterea et nuper ex terra eruerim crucem illam lapideam quae anno 1400 in memoriam hujus caedis cum Inscriptione in ipso loco fuit erecta, peculiari schediasmate hanc historiam illustrare animum induxi. Dum vero adhuc variorum Chronicorum MSS excerpta desunt, imploranda mihi est opera Virorum Eruditorum quibus ad MSS patet accessus, velint ea mecum communicare quibus totum hoc negotium illustrari possit.

MSS illa auctorum Classicorum, quae desideras in Bibliotheca Serenissima non extant, praeter scripta enim Ciceronis de Rhetorica, Statii libros Thebaidos, Servii Commentarium in VI libros Aeneidos et Thucydidem nihil ex hoc ordine reperitur, reliqua sunt Augustini Hieronymi Bedae etc. Sallustii codicem frustra exspectabis, feruntur enim nunc in feriis ex quibus nulla inspiciendi datur copia. Contuli illum cum editione Amstelodamensi anni 1690 cum N. V. in 8o consului aliquando et Wassii exemplar, sed deprehendi eum ut plurimum conspirare cum codicibus, quos jam consuluerant Viri docti, nisi quod in B. Cat. cap 6. additur post verba [coaluerint]: Ita brevi multitudo diversa atque vaga concordia facta erat civitas. cap 27 pro multa simul legit multas simultates. c. 30 arma portari / arma parari c. 31 minor. magistr / major. magistr. in Jugurth. c. 39 Senatus de foedere consulebat, utrum quod pepigerat cum Jugurtha firmum, et ferme factum pendueret nec ne. c. 43 in MS. omnia tractare et communia sibi cum collega.

Cum anno 1718 excuterem thesaurum librorum MSS Bremensium inveni inter Codd. Goldastianos Vitam Lucani quantum memini ab editis discrepantem, latent ibi etiam Goldasti Notae MSS in Sallustium, quod ne nescires hic monere volui. Vale Vir Celeberrime, et fave

Tibi deditissimo
IHSchmidt